



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Vitrvvivs Itervm Et Frontinvs**

**Vitruvius**

**Florentiae, 1513**

De purpureis coloribus. Cap. XIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12979**

## LIBER

Quomodo fiat ostrum colorum omnium factitiorum  
excellentissimum. Caput. XIII.

**N**incipiam nunc de ostro dicere, quod & car-  
rissimam, & excellentissimam habet præ-  
ter hos colores aspectus suavitatem. Id autem  
excipitur ex conchilio marino, è quo purpura infici-  
tur, cuius non minores sunt q̄ ceterarum naturæ re-  
rum considerantibus admirationes, q̄ habet non in  
omnibus locis, q̄bus nascitur, unius generis colorē,  
sed solis cursu naturaliter temperatur. Itaq; quod le-  
gitur punto & gallia, q̄ hæ regiones sunt proximæ  
ad septentrionem, est atrum, progradientibus inter  
septentrionem & occidentem inuenitur liuidum. Qd̄  
autem legitur ad æquinoctialem orientem & occiden-  
tem, inuenitur uiolaceo colore. Quod uero meridia-  
nis regionibus excipitur, rubra procreatur potestate,  
& ideo hoc rubrum Rhodo etiam insula creatur, ca-  
terisq; eiusmodi regionibus, quæ proximæ sunt solis  
cursui. Ea conchia cum sunt lecta, ferramentis cir-  
ca scanduntur, è quibus plagiis purpurea sanies, uti  
lachrima profluens excussa in mortariis, terendo co-  
paratur, & quod ex concharum marinorum testis ex-  
mittur, ideo ostrum est uocatum. Id autem propter  
falsuginem cito fit siticulosum, nisi mel habeat circu-  
cumfusum.

De purpureis coloribus. Caput. XIII.

**I**unt etiam purpurei colores infecta creta  
rubie radice, & hyssopo, non minus & ex  
floribus alii colores. Itaq; tectores cum uo-  
lune si Atticum imitari, uiolam aridam coniuentes

in uas cum aqua conserues cere faciunt ad ignem, deinde cum est temperatum coniiciunt in linteum, & inde manibus exprimentes recipiunt in mortarium aquam ex uiolis coloratam, & ex ea eretriam infundentes & eam terentes, efficiunt silis Attici colorem, Eadem ratione uacinium temperantes, & lac miscantes, purpuram faciunt elegantem, Item qui non possunt chrysocolla propter caritatem uti, herba, quæ luteum appellatur cœruleum inficiunt, & utuntur uiridissimo colore, Hæc autem infectua appellatur, Itē propter inopiam coloris india, cretam selinusiam, aut anulariam, utrumq; quod græci ψελιον appellat, insufficientes, imitationem faciunt indici coloris, Quibus rationibus & rebus ad dispositionem firmitatis, quibusq; decoras oporteat fieri picturas, Item quas habeant omnes colores in se potestates, ut mihi succurrere potuit in hoc libro perscripsi, Itaque omnes ædificationum perfectiones, quam habere debeant oportunitatem ratiocinatiōibus septem uoluminibus sunt finitæ, In sequenti autem de aqua, si quibus locis non fuerit, quemadmodum inueniatur, & quare ducatur, quibusq; rebus, si erit salubris, & idonea probetur, explicabo.